

que ulla ejus mutatione & luminis defectu: Ita & Filius à Patre. (3.) Sicut Sol per naturam suam nunquam est sine splendore, ita nec Pater sine Filio. Joh. I. 1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum &c.* Hinc Ambr. lib. 4. de Fide, Cap. 4. *Sicut flamma splendorem, quem gignit, tempore non precedit, ita Pater nunquam sine Filio fuit.* Huc spectat pia illa Nicænæ Synodi confessio, quod Filius Dei Θεός sit εκ Θεῶν, καὶ Φῶς εκ Φωτῶς, Θεός ἀληθινός εκ τῆ ἀληθινῆ.

XIV. Alter titulus metaphoricus petitus est à Characterē seu imagine monetæ vel ceræ impressa, & à sculpturâ, quæ est v. g. in sigillo, quo Character seu imago monetæ vel ceræ imprimitur. Uti enim (1.) Character seu imago à cœlatura sigilli provenit: sic filius producitur à Patre, Ps. II. 7. *Filius meus est tu, ego hodie genui te.* (2.) Character seu imago, quam simillima est sculpturæ; nihilque in ista est, quod non æquè sit in illa. Et Filius Patri per omnia similis. Col. I. 15. ὅς ἐστιν εἰκὼν τῆ Θεῶ τῆ ἀοράτου. Phil. II. 6. *Non rapinam duxit τὸ εἶναι ἴσα τῷ Θεῶ.* (3.) Cœlatura & imago sunt ab invicem distincta: Ita & Pater à Filio distinctus est, & ab illo differt. Joh. V, 32. ἀλλ' ὁ ἐστὶν qui testatur de me. Confer. Cap. VIII. 18.

§. XV. Hisce ita positis concludimus: Q. essentiam suam ab æterno à Patre habet, possidetque omnia, quæ Pater in sua essentia, ille est verus Deus, Patrique coessentialis. Atqui Filius &c. E. Majoris veritas in aprico est; Minor ex verbis textus allegatis patet

XVI. Sed videntur sibi habere, quod excipiant adversarii. Et ad similitudinem quidem primam Socinus lib. de Servat. Christo p. 175. reponit: Christum splendorem gloriae Dei dici, quod *per ipsum nobis gloria, Deusq. ipse in-*